


C. 149.





3

AD

ORATIVNCVLAS VI
IN SCHOLA THOMANA

D. XXII APRIL. A. C. CCCCCCLXIII

HORA IX MATVTINA

AUDIENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

INVITAT

ET

RITVVM ANTIQVORVM
INVESTIGATOREM NON ESSE
EXLEGEM

DEMONSTRAT

M. IO. FRIDERICVS LEISNERVS

RECTOR

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA



PATRONOS ET HONORES

TATIVI



ui de ritibus gentium ceremoniisque, vel ab antiquitate vel hac recenti aetate institutis, exponunt, haud dubie partem historiae, eamque perutilem, et ad ingenium hominum moreisque cognoscendos non parum accommodatam, persequuntur. Neque enim ambigere licet, placuerintne sibi olim Dardanenses in corporis mundicie, an in fordibus et illuie, si quis relatum legit, iis, quoad viuerent, ter duntaxat squalorem fordesque corporis lauando detersas suisse, quum in lucem editi essent, quum nuptias facturi essent, et quum mortem obiissent.

Etsi vero veterum rituum descriptio tam plana est prima specie, tamque expedita, ut omnis eorum opera laborque parui faciendus videatur, qui se ad explicandos eos conferunt, quum nihil videatur esse facilius, quam ea retractare, quae quotidiana prope consuetudine hominum vsu veniunt, quaeque in factis et moribus totius vitae versantur; tamen, etsi nolim nodum in scirpo quaerere, difficultateque in re facilis comminisci, non dubitari contendere, etiam his et circumspectionem et accuratam quandam diligentiam adhibendam esse, qui in ritibus

bus antiquis explicandis sibi ab errore catere velint, et tanquam in via plana inoffenso pede ambulare.

Norunt omnes, esse historicis quasdam leges positas, quas egredi nemini, quas negligere nusquam, liceat, cuius generis non modo sunt illae: *ne quid falsi dicere audeas: ne quid veri dicere non audeas:* sed et aliae, quae ex istis sere ducuntur, veluti: *caueat historicus, ne suum de rebus factis iudicium cum falsis ipsis confundat: curet idem, ut suis quaeque locis, personis, temporibus adsignet: prouideat denique, ne obvia nimis, ne vulgaria, et quae per se intelligi possint, quaeque scire non multum intereft, iusto liberalius adponat.*

Iam extra controversiam positum est, his iisdem legibus alligari etiam omnes, qui ad explicandos antiquos ritus accedunt. Quis neget, quemadmodum bona fide agendum est historico, ita rituum enarratori videndum esse, ne falsis et commentitiis ritibus moribusque, vel antiquitati vel huic recenti aetati affingendis, lectores decipiat. A qua lege, non desunt, qui deflectant, siue male coniectando et errore, siue mentiendi libidine, a vero abducti, siue credulitate, siue studio partim incredibilium, partim ridiculorum, relatu commendationem sibi parandi. Per errorum prope ridiculum fingere ritum videtur, ac meretricibus matronisque tribuere, vetus interpres Iuuenal is ad Sat. VI, 120, vbi poeta Messalinam scribit lupanar intraffe

nigrum flauo crinæ absconde[n]te galero.

Ad quem locum quid interpres? Primum galerum interpretatur *crinem suppositum, rotundum muliere capitis tegumentum in modum galeæ factum, quo ute[re]ntur meretrices.* Mox rationem redditur, cur flavius galerus fuerit, addit, *nigro crine matronas ufas.* Delirasse hic grammaticus iste existimandus esset, si omnes matronas crine nigro, et contra meretrices flauo, fuisse sensisset. Omnis ritus ea vis est, vt ab actionibus humanis abesse quidem possit, moribus tamen receptus sit. Sed quis hoc moribus posse recipi somniauerit, vt, quae futurae meretrices sunt, flauo crine nascantur? Itaque Octauius Ferrarius de re vest. P. II L. I c. 20 p. 42, *Quod vero, inquit, vetus Scholiastes adiicit, ideo flauum sumtum, quia nigro crinè matro-*



nae vtebantur, Grammatici deliramentum est. Quis enim credat, matronas omnes nigro, meretrices flavo, crine fuisse? Sed bona verba quaeso! Si enim mihi, quid sentiam, dicere licet, excusate ista et citra ullam delirationem grammaticus scribit. Non enim verba facit de crine naturali, sed de adscititio, hoc est, de flavo galero, qui vtique meretricum moribus aequa, ac vetes versicolores apud Athenienses, recipi potuit. Neque difficile est, coniectura assequi, quonam vitio abreptus P. Daniel Huetius vanissime tradiderit, quo ritu consuerit Consul Hardenbergae, quod oppidum est Transfalaniae, creari. Lubet ritum verbis auctoris ex itinere Suecico adscribere:

Mox Hardenbergam sera sub nocte venimus:
Ridetur nobis veteri mos ductus ab aevo.
Quippe vbi deligitur revoluto tempore consul,
Barbari circa mensam statuuntur acernam,
Hispidaque imponunt attenti menta Quirites:
Porrigitur series barbarum desuper ingens.
Bestia, pes mordax, sueta inter crescere fordes,
Ponitur in medio: tum cuius numine Diuum
Barbam adiit, festo huic gratianum murmure patres,
Atque celebratur subiecta per oppida consul.

Quum fint non spernendi auctores, qui hunc morem in isto oppido vel vigere vel viguisse vñquam negent; recte Huetium vel vano rumore dictum, vel animi causa, ista lusisse dixeris. Nec falleris iudicio, si huic narratiunculae geminam putabis illam, quae iactatur de sella Romae perforata, pafsimque circumfertur.

Sed ritus commentitios, si non ex toto, tamen ex parte, parit etiam consuetudo praua nostrum de rebus factis iudicium pro ipsis factis habendi. Aegyptiorum sacerdotibus interdictum quorundam leguminum esu fuisse, satis constat, auctorumque idoneorum testimoniiis comprobari potest. Sed quis aequa idoneorum probauerit illud, Aegyptios talia legumina pro numinibus coluisse, tetenderitue, causam Iuueniali fuisse, cur exclamaret XV, 10:

O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis
Numina!

Quod

Quod Aegyptiis, idem propemodum Iudeis, accidit, quibus quum abstinentum esset esu porci, tanquam foedi animalis et immundi, praecipitato de hac abstinentia iudicio coeperrunt nonnulli religiosum porcorum cultum Iudeorum genti expobare. Quo locus e Petronii fragmentis pertinet:

Iudeus licet et porcinum Numen adoret,
Et cilli summas invocet auriculas.

In cuius erroris societatem venire et Christiani credebantur, non quod et ipsi abstinentum fibi a carne suilla credebant, sed quia, quae erat lupina scriptorum gentilium negligentia, a Iudeis non satis dicerebantur. Non dissimulare hoc loco possum, quam iniuriam prae iudicando et Iudeis et Christianis intulerant gentiles, eandem vicissim Christianorum nonnullos scriptores intulisse gentilibus, et ita retulisse par pari. Quid enim est, quod Laetantius I, 20 Floram scortum fuisse dicat, in deas relatum, inque eius honorem, quod magnas opes ex arte meretricia quaesitas reliquisset populo romano, Floralia quotannis celebrata existimet? Potest evidentibus Varronis de L. L. IV p. 20 testimonii doceri, Floram fuisse Sabinorum deam, et a Tatio rege cum aliis numinibus ad Romanos translatam. Nec queo mihi temperare, quin eiusdem siue malignitatis siue ignorantiae accusem Tertullianum, Minucium Felicem, Laetantium eundem, quando de Cluacina Venere loquuntur, tanquam dea latrinis praefecta, eiusque simulacro in cloaca reperto. Laetantius, Cloacinae, inquit, *simulacrum in cloaca maxima repertum Tatus consecravit, et quia, cuius esset effigies, ignorabat, ex loco illi nomen imposuit.* Satis appetet, Laetantium loqui de Tatio Sabinorum rege, collega aliquamdiu Romuli. Quaerere hic ex Laetantii defensoribus, si qui sunt, lubet, quae hoc tempore fuerit cloaca maxima, quod operum omnium maximum, ut Plinius vocat, centum demum annis et amplius post Tatium structum a Tarquinio Prisco constat? Sed quae tandem est, inquis, Venus ista, seu Cluacina seu Cloacina? Audiendum esse Plinium viri docti monent, qui XV, 29 ita: *Myrtus fuit, ubi nunc Roma est, iam tum, quum conderetur: quippe ita traditur, myrtlea verbena Romanos Sabinosque, quum propter raptas virginis dimicare voluissent, depositis*



*armis purgatos in eo loco, qui nunc signa Veneris Clacinae habet.
Cluere enim antiqui purgare dicebant. Secundum Plinium igitur
Cluaeina non a cloaca nomen habet, sed est quasi purgatrix
et expatrix.*

Nihil ambigo, sitne hic potius error, quam aliis, qui eorum infidet animis, qui et fuisse gentes et nunc esse sibi persuadent, ita immanitate, ut loquitur Cotta apud Cic. de N. D. I, 23 efferatas, ut apud eos nulla suspicio deorum sit. Mihi videntur ii, qui ad gentes commeant et moribus et sermone dissonas, vbi nullos facrorum ritus ibi animaduertunt similes iis, qui auribus eorum oculisque familiares sunt, quibusque adfueti sunt, facile eo delabi, ut sibi gentes fingant, in quarum animis nulla cognitio insit diuinitatis. Nam sicut saepe facile est, dicere, quid quis fecerit, et quomodo: non aequae facile, quid non fecerit, aut quomodo; ita mihi maior religio est, maiorque, ne in errorem inducar, metus, si quem audio, qui se ad populum delatum testetur, Dei facrorumque rituum et ceremoniarum prorsus ignarum, quam si quis, quinam dii ab aliqua gente et quomodo colantur, narret. Cui religioni eo magis mihi seruendum putabo, quia noui, ipsum Apostolum diuino spiritu actum affirmare, τὸ γνῶσθαι τὸ Θεόν θεωρεῖν εἴναι τοῖς θεοῖσιν. Si itaque ipse ad populum venirem templis carentem, qui nec precum formulis, nec iureiurando, nec sacrificiis veteretur, nec villas ceremonias, nec ritus facrorum ullos mihi cognitos obiret, mihi diu cum eo versandum putarem, veniendum in eius intimam familiaritatem, omnia circumspicienda, excutienda omnia, scrutanda eius arcana et occulta, penetrandum ad sensus hominum opinioneque, prope irrependum in latebras recessusque animorum, ante quam talem populum vel in suspicionem ἀθέατου vocarem. Colunt enim deos alii aliis modis: nonnulli sacra sua vulgant: nonnulli occultant, et saepe tantum habent mysteriorum, ut ad ea ne iniciati quidem, immo ut ne mystae quidem omnes, admittantur. Qui hic auctoritatibus aduersus nos pugnant, tanquam Baelii et aliorum, qui itineraria consarcinarunt, his auctoritates grauissimorum auctorum opponere licebit, Maturini Veisserii la Crose, et aliorum, quorum magnum

gnum numerum producit Fabricius Bibliogr. antiquar. VIII, 3,
quibus addi poterit Elias Benoist in praefatione obseruatio-
num ad Io. Tolandi Origines Iudaicas, gallice scriptarum.

Antequam hunc locum relinquam, commemorandus
mihi Aristoteles est, qui veterum Thracum tantum fuisse
tradit stuporem, ut in numerando ultra quaternarium non
potuerint progredi. Agedum, summe Aristoteles, quid
quaeso hic in facto positum est? Profecto nihil nisi hoc
vnum, veteres Thracas eam numerandi rationem sequitos
esse, quae ultra quaternarium non procedit. Sed num illud
aeque in facto positum est, a stupore Thracum hunc nume-
randi morem esse repetendum? Minime: hoc tuum de isto
factum iudicium est. Videndum vero, an rectum. Videre
mihi videor, cur te ratio fugerit. Numerandi rationem,
quae ad denarium progreditur, esse credidisti necessariam,
eamque ab natura ipsa potius, quam ab humano consilio, de-
riuandam. Si tua vita in haec tempora incidisset, si Wei-
gelius, si Leibnitius, si nonnulli alii tibi innotuissent, qui
planum fecerunt, posse eum etiam perfectum esse arithme-
ticum, qui quinque, qui duo, numerare nesciat, profecto,
quin istam sententiam ferres, tibi temperasses. Interim si
foliatum est, socios habere errorum, folatio tibi esse multi
poterunt, qui prope ad eundem lapidem impingunt, qui-
que stupidos Abderitas putant, quaeftique, cur potent, hoc
adferunt, plurimos eorum aliquando in febrim incidisse, con-
iunctam cum tanto delirio, ut versus funderent, carmina
poetarum recitarent, in triuifque et compitis passim discur-
rentes histroniam facerent. Echo obsecro, quid ita ratiocin-
antur? Caditne deliratio in stupidos solos? vel potius, ca-
detne vñquam deliratio tam elegans, pene dixerim, tam
amabilis omnino in stupidos? An dica ergo Vossio scriben-
da, qui ad Melam p. 442 talia a deliris potius, quam de de-
liris, dici existimat? Sed quid his diutius immoror? Venia-
mus ad eos, qui in ritibus exponendis nimis vulgaria, nimis
minuta, nec ritus ei genti, de qua exponunt, proprios, sed
prope omnibus gentibus communes, nec veteri tantum
aetate, sed omni, receptos, ac fere necessario vbiue et
sem-



semper obseruandos, consestantur. Non audiendos quidem
 puto nonnullos, quorum sunt non in humaniorum modo li-
 terarum, sed in philosophiae etiam, aliarumque disciplina-
 rum minutias plurima et aculeata dicteria, quippe qui pro
 sua leuitate non satis reputant, minuta esse apta et copula-
 ta magnis, rerumque minimarum obseruationem ingentibus
 saepe commodis locum fecisse. Quid prima specie leui-
 us est, quam nosse, sepelierintne Athenienses olim mortu-
 os ita, vt ad occasum, an vero ita, vt ad orientem specta-
 rent sepulti? Sed operae pretium erit, ex Aeliano VII, 19
 discere, quantum tam paruae rei cognitio profuerit Soloni,
 quam demonstrare et vincere vellet argumentis, Salamina
 insulam non Megarensium esse, sed Atheniensium. Cuius
 notae homines ferre nolunt, verbi causa, eos, qui de cal-
 ceis veterum scribunt, iisque indignantur non fecus, ac si
 Camarinam mouerent. Quorum quod quaeso in calceis fa-
 stidium est, nullum quum sit in armillis, in inauribus, in
 torquibus veterum? et quorum censura dat veniam fibulis,
 lucernis, lecticis, quid vexat calceos? Scilicet quorum au-
 ribus honos praefandus est, quoties quaeris, quo pretio ve-
 neat par calceorum, horum ocelli vulnerantur, quum obii-
 citur illis libellus, qui de calceis inscribitur. Cuiusmodi li-
 bellorum autores, dici vix potest, quot locis obscuris veter-
 um librorum lucem adferant. Hos ergo aut plane de ma-
 nibus iuuentutis excutiendos dicemus, aut ita legendos, vt
 ne intelligentur quidem, aut iis gratiam habendam, qui et-
 iam haec antiquitatis instituta explicanda sibi sumserunt.
 Quamquam igitur non sumus ita delicati, vt fastidium nobis
 pariant, qui de veterum calceis exponunt, facileque a nobis
 impetramus, vt attentionis aliquid conuertamus non modo
 in aurea deorum sandalia, in Diana endromidas, lunataf-
 que pelles senatorum, et sacerdotum phaecasia, sed etiam in
 militum caligas, soccos comoedorum, cothurnos tragoedo-
 rum, ipsasque peribaridas ancillarum, et perones rusticorum;
 nollemus tamen, esse aliquos tam putidos, vt se nobis putent
 ritus veterum reconditos, solique antiquitati proprios, in lu-
 cem proferre, quum obseruant, pescatores apud veteres in
 sco-

scopulis insidiatos esse piscibus, pastores secum in pascua deducere canes consueuisse, ingentemque testium manum cogant, qui haec ita fuisse confirmant, non sane multum illis dissimiles, qui obseruerint, morem fuisse veterum, intendentibus se tenebris candelas accendere. Hoc est illud vietum, quod in praestantissimo alioquin viro, Barnaba Brissonio, reprehendit Iustus Ios. Scaliger in epistola IX, quae est ad Seguinum: *rem vulgatissimam testimoniis*, inquit, *velle probare*, *hoc vero est*, *quod Graeci dicunt, μέγον ἐπὶ Φαρὲς*. Mira nos docet Brissonius, Persas regibus paruisse: reges vero ipsos castra diligentissime fossa et vallo munuisse: stipatores, satellites, officia palatina habuisse. Si iste solis regibus Persarum mos fuit, laudo diligentiam scriptoris. Si res est vulgatissima, et omnium regum, quid est tot testes citare, quam centones sarcire? Sed quod difficile est in omnibus fere, seruare modum, id multo est difficillimum his, qui sibi aliquid argumenti ad scribendum sumunt. Itaque qui, ut hoc utar, strategemata exposuerunt, facta quaedam in illis posuere, quae strategemata non sunt, et, qui prouerbia collegerunt, saepe ibi prouerbia se inuenisse sibi visi sunt, ubi nulla sunt. Quod de his eleganter Muretus V. L. XII, 17 dixit, idem conuenit in vetustorum rituum indagatores: ut quibusdam hominibus male affectis, quicquid edunt, in bilem aut pituitam, ita istis, quicquid legunt, in ritus, in mores veterum, opinioneque vertitur.

Sunt exposita fere, quae de antiquiorum minutis denda videbantur. Nempe igitur restat, ut de illis adiiciam, qui non suis quaeque personis, locis, temporibus tribuunt, de quibus plura dicenda haberem, quam putentur dici posse; sed quum ad exitum festinet commentatiuncula, rem paucis expediam. Venit hic in mentem primum eorum, qui vel graecos ritus romanis, vel vice versa romanos ritus tribuunt graects. Etsi enim a Graecis olim permulta ad Romanos translata sunt, religio, leges, modus loquendi, et ritus prope innumerabiles, ita ut magnam rituum romanorum partem norit, qui graecos nouit; nonnulla tamen instituta Graecorum, nonnulla etiam Romanorum, ita manserunt propria, ut ea ab altero populo cum altero nunquam communicata fuerint.



rint. Pila ludere puellas graecas obseruant viri docti, non vero romanias. Similiter lapideois imbres Nouem diali facro expiare non nisi Romanis visitatum fuit.

Sunt, qui tradant, ad compescendam transfugarum perfidiam, notas militum manibus inustas fuisse apud Graecos, quae stigmata dicuntur. Mihi vero nondum satis certum videtur, hunc ritum graecum fuisse: fuisse romanum facile concedo. Caput quaffas, B. L., ringeris, meque ad Aetium Amidenum, ad Scribonium Largum, Vegetium, multosque alios amandas? Cura non defuit euoluendi hos omnes: necdum tamen mihi dubitatio sublata est. Auctores, qui inspicendi mihi proponuntur, aut de Romanorum stigmatibus militaribus loquuntur, aut de stigmatibus seruorum. At sum iusto difficilior, qui ne Aetium quidem audiam, medicum graecum. Aetii haec sunt VIII, 12: Στιγματα καλέσοι τὰ ἐπὶ τῷ πρωτόπεπτῳ ἢ ἀλλὰ τῶν μέρες τῷ σώματος ἐπηγραφόμενοι, οἷα τῶν σφατευόμενων ἐν ταῖς χερσίν. Quid igitur? Intelligo, Aetium docere, quid fuerint stigmata, et fuisse militantium manibus inscripta. Fuisse hunc morem veterum Graecorum, non intelligo. Vixit hic Aetius sub Iustiniano, qua tempestate Romani dum rerum domini facti erant. Ritus cunctos a tali auctore, quamvis graeco, expressos, non magis graecos putem, quam instituta omnia, quae a latinis scriptoribus, veluti Tarentio, memorantur, esse latina.

Mediolanum, clarissimam Insubriae vrbum, a Frederico Aenobarbo non modo funditus euersam, sed etiam aratris proscissam in agri speciem, neque frugis sed salis semen, Iudibri causa, accepisse, omnibus, qui historiam attigerunt, notum est. Quaerentibus, cuiusnam populi ritu haec imperator fecerit, aliqui respondebunt, vtrunque Romanorum more factum fuisse. Barrii certe haec est sententia. Sed videor habere, quod rectius respondeam. Consuetudinem vrbes euersas aratro proscindendi esse romanam, et Horatius I, od. 16 et ICti ad Pandectas iuris ciuilis decebunt. An eandem consuetudinem recte Propertius tribuerit Graecis, videndum est. At mos areas dirutarum vrbius sale conferendi ab Ebraeis videtur ductus esse, id quod probavit

II

vit Stephanus Morinus in diss. de sale adspersi solito super
virium dirutarum ruinas.

Postulat locus, vt de iis dicam, qui non suo quaeque
tempori adsignant. In imperatorum romanorum cultu
adhibitum fuisse ignem, dubitare sinunt neminem ea, quae
Lipsius ad Taciti A. Exc. A. et Eschenbachius in diss. de
igne, Augustis praelato, adserunt. Quem ritum qui apud
Horatium Sat. I, 5. 36 tribuunt Ausilio Fundorum practo-
ri, hi tribuant ei aliquid nondum vistatum, et quod for-
tasse Antoninorum demum aevo usurpari coepit. Subscri-
bendum putem doctissimo Gesnero, qui *prunae vatillum* focu-
lum sacrificandi causa praelatum magistratui opinatur. Da-
tur tamen non modo poetis haec venia, vt tempora velut
praecipient, et aliquid fuisse factumue esse fingant, quum
nondum factum erat; sed etiam historicis, vt, quum Li-
vius VII, io de hispanico gladio tanquam Romanis fami-
liari loquuntur, qui diu post esse in usu coepit, et de stipen-
dio, qua tempestate nondum institutum erat. Non sunt
ergo ei legi, quam posuimus: *suo quaeque tempori adsigna*, nec
poetae nec historici adstricti? Sunt vtique: sed quis tales
scriptores sine piaculo carpere possit etiam tum, quum de-
cipere nos videntur? quis tam morosus, vt inuidet illis,
aut certe illorum defensoribus deuerticula et suffugia infir-
mitatis, hoc est, salutiferum illud est ἀλεζηακον nomen προ-
λύψεος? Qui vero tam prompti sumus ad gratiam faciendam
his, quid non sperare a nostra facilitate poterunt, qui ita
loquuntur, quasi ritus quidem retinerentur, qui dudum in usu
esse desierunt? Nam locutiones antique manent, etiam si
res desierunt, et aliae eiusdem usus in earum locum succe-
serunt. Itaque etiam nunc et pendimus pecuniam, et dici-
mus ad clepsydram, et album nostrum calculum aliorum
sententiae adiicimus: et mulieres nubunt viris, et quidam
nostrum solis digitis diuites sunt: et quum inscriptio in fe-
pulcro ponenda est, et si non iuxta viam in agris condito,
alloquimur viatores et admonemus, vt sistant gradum et
adstant.



Nihil restat, nisi ut nomina eorum addam, qui discif-
suri e schola nostra oratiunculas recitare constituerunt, et
demonstrare, *maiora esse in opulentia, quam in paupertate, ad vir-
tutem acquirendam impedimenta.* Nomina igitur eorum sunt

IO. CHRISTIAN. GOTTLLOB MULLERVS, *Lipf*
PAVLVS FRIDER. SCHARNOVIVS, *Interboc*
CAROL. FRIDER. WILHELMVS SCHWEINITIVS
Belgern

IO. MICHAEL MICHAELIS, *Taennstadiens*
CHRISTIAN. GOTTLIEB VIBIGIVS, *Zschopaviens*
IO. CHRISTIAN. LIMBRECHT, *Grimmenis*

Ad quos beneuelle audiendos si ii, ad quorum vel tutelam
vel curam aliquam haec schola pertinet, frequentes con-
venire velint, et ipse me illis quam plurimum debere
existimabo, et sex illi bonae indolis iuuenes maximo se be-
neficio affectos putabunt,



G. 670.8

VDI8

ULB Halle
008 902 275

3



ne



AD

ORATIVNCVLAS VI
IN SCHOLA THOMANA

D. XXII APRIL. A. C. CCCLXIX

HORA IX MATVTINA

AVDIENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

INVITAT

ET

MANTIQVORVM

IGATOREM NON ESSE

EXLEGEM

DEMONSTRAT

IDERICVS LEISNERVS

RECTOR

LIPSIAE

FICINA BREITKOPFIA

